

nus. Cum aceto scyllitico psilothrum constituit.

Differentias varias apud auctores invenias. Aristoteli aliae sunt corpore parvo, quae cibo aptiores: aliae majusculo duroque. Aliae sinuosis adhaerent, quae nunquam a saxi ab-

solvuntur: aliae plana littora amant, quae suis abjuncta sedibus vagantur. Idem apud Athenaeum habetur. Secundum Rondeletium, aliae saxi vel cuilibet rei alteri adhaerent; aliae minime. Rursus earum, quae saxi vel alteri rei haerent, alia perpetua stabilique sede illic degunt, quae sunt Urtica parva in rimis saxorum latitans: quae Purpuris et Buccinis adnascitur: quae cinerea est, longisque cirris constans: Aliae sedes mutant, et libere per mare feruntur tantumque, ut purpurea urtica. Semper solutae sunt, quas vulgo Potes appellant. *Parva*, juglandis magnitudinem vix superat. Tota carnosae est, cirros breves habet, contracta recti intestini extremum refert, colore vario est. Quaedam enim caerulea, alia viridis, alia subnigra, sed punctis aliquot caeruleis vel flavis vel rubris notata. Graecis *κολέκαινα* dicitur. *Cinerea* a colore nomen sortita est. Tenuis est admodum, quia frondem magnam, id est, cirros multos habet, carnis parum. In Saxorum rimis vivit, comam semper explicatam habet, nec unquam contrahit.

Utraque scopulis littoralibus, et iis potissimum marinis tractibus, qui ventorum impetum minus sentiunt, tam pertinaciter inhaeret, ut, nisi primo impetu divellatur, vix postea, nisi in frustra concisa, dirimi possit, adeo suas trichas arctissime contrahit. *Purpurea*, seu Phoenicea, Rosa quibusdam, aliis Posterol, quod contracta recti intestini extremum cum musculo sphinctere seu podicem refert, est primae similis, nisi quod frondem et longiorem et copiosorem habet.

Purpuris et buccinis adnascens, partem exterioriorem habet duram et rigidiusculam, spissioreque quam in aliis urticis, cirros brevissimos in

ambitu. In exterioribus ejus partibus filum longum deducitur purpureo colore, tam jucundo tamque fluido infectum, ut cum pretioso illo Purpurae succo certet. Ideo hanc a cane Herculis demorsam fuisse Rondeletius credit. Datur et in *Lepade nata*, de qua Ferrantes Imperatus ita scripsit. In dorso esse sex rimas stellam aemulantes: in medio dorsi foveam parvam cum figura quadam inclusa Conchae rhomboidi simili, sustinerique a lateribus lepadis mediante membrana continua, et cavitatem, quae est in animali, non habere aliud intermedium, quam membranam. A parte anteriore conspici fructum Lepadis instar penicilli pictoris in se revoluti.

Ad priores illas referri *Bellonii* possunt, quarum quaedam rubro colore suffusa est, altera magis caerulea, granulis in gyrum circumfessa. Utraque marinum tuber *contracta* refert, *explicata* Caesariem totum corpus rotundum ambientem: nam infinitis cirris, antennarum papilionibus, aut scarabaei crassitudine constat.

Huc etiam spectat Aldrovandi *Contracta*, *Cinerea Rondeletii* congener, quae etiam saxi adnascitur, cirris tenuibus: *pilei fere forma*, colore tota coccineo, excepta summitate, quae est viridis, cum nigra rotundaque macula: et quae ex *leporis marini* genere, coloris partim purpurei, partim albi.

Urtica soluta, seu *Potta marina* Aldrov. l. 4. c. 2. vulgi, quod speciem quandam mulieris vulvae repraesentet; Graecis Mongi, inhonesto etiam vocabulo, quod, ut scribit Bellonius, partibus verendis admota, pruritus ac Venerem, imo etiam ampullas excitet, dicitur. Cum jacet, omaso similis est: cum erigitur, pulmo videtur, et adeo tanquam vitrea et lucida est, ut sine sectione interiora omnia videre possis. Suspenso, quandam Polypi imaginem gerit, nisi quod brachia tenuissima et crassissima habent. In partibus, unde pedes oriuntur, quosdam meatus arenarum plenos Gyllius vidit. Formam superne rotundam,

k

infer-

Differen-

tia.
Arist. H. A.
l. 5. c. 16, et
l. c. 1.

Athen. l. 3.